

netam amittit ; quandoquidem qui privilegio suo abutitur , illud jure amittit. *c. plerumque 11. qv. 3.* Vide *Ordinat. Monetalem zu Augsburg. de Anno 1559. §. Wir ordnen. Gilhaus. ad h. art. p. 34.* Adde *Remum in Not. marginal. ad h. art. p. 108.*

VII. Addendum aliquid est de iis , qui suæ monetæ alienum signum imprimunt, scilicet, qui nummis suis alterius Principis aut status signum imponit. Etenim licet ejusmodi monetarii nummos quoad materiam non adulterent, sed eos ex auro vel argento, aut alio metallo legitimo, & quidem justo pondere cudant, nihilominus tamen, quia falsum committunt, dum alterius Principis aut status signum vel imaginem suis nummis imprimunt, non possunt ab omni pœna excusari, sed meritò arbitrariè puniuntur, cum pœna criminis falsi sit arbitraria. Unde facere nequeo cum illis, qui pœnâ ignis afficiendos esse statuunt eos, qui falsam imaginem suis nummis imprimunt, etiamsi ex nostro præsentè articulo allegent verbum : *zeichnen* : nam verbum istud non est intelligendum de impositione falsæ imaginis, sed referendum est ad antecedens subjectum, falsam nimirum monetam, quæ scilicet ex stanno, plumbo, cupro, vel alia quadam vitiosa materia fabricatur, scilicet : Illos demum ignis supplicio subiciendos esse, qui monetam ex vitiosa materia vel ipsimet cudunt ; vel cusam signant, permutant, aut aliis expendunt ; qui certè pœnâ ignis rectè afficiuntur ob vitiatam & corruptam monetæ materiam. Verùm qui monetæ è proba materia factæ, & legitimum pondus habenti falsum imprimit signum & imaginem, is non mortis supplicio, sed pœnâ arbitrariâ afficiendus erit. Idque ideò, quòd nullibi adversus tales monetarum falsificatores certum genus supplicii sit statutum : Jam ubi certa pœna legibus non est definita, tum pœna arbitraria locum habet. *Menoch. l. 1. qv. 86. n. 8. p. 132. de A. J. Q. Tiraquell. de pœn. temper. caus. 31. n. 34.* Et sanè si pœnâ ignis nõ punitur is, qui absque privilegio Cæsaris, sed privata saltem autoritate monetam cudit ; quanto minus pœna ignis locum inveniet in eo, qui alienum signum suæ monetæ imprimit ; quippe quod sit levius delictum alienam imaginem nummis imponere, quàm absque impetrata monetandi potestate nummos facere. Legi hac de controversia meretur *Carpz. part. 1. qv. 43. n. 25. & seqq. f. 276. & 277. Præf. Crim.* Accedit, quod ejusmodi delinquens per falsam monetam non det damnum, cum illam ratione materiæ in sua bonitate relinquat, & per falsum signum ei impositum nihil ei de bonitate materiæ decedat, ut ita homines si non habeant probos nummos, habeant tamen nummorum præium.

VIII.